

in eo casu communicare vult, confiteatur integre cui potest, quia habet divinam obligationem, et nullam sufficientem excusationem.

23. Quando autem peccatum est posterioris rationis, habet sine dubio subditus sufficientem excusationem, ut constat ex materia de Pœnitentia. Potest ergo tunc communicare, licet superiori non confiteatur. Addo vero, etiam posse confiteri alteri ordinario confessori, et ab eo posse absolvi, quamvis absolutio solum cadat directe in peccata non reservata, et alia tollantur solum indirecte, sicut oblita. Imo vero non solum existimo hoc posse fieri, sed etiam esse convenientius, et omnino faciendum, si quis habeat conscientiam alterius peccati mortalis non reservati; quia ille est dispositus ad confessionem, et ad effectum absolutionis, quantum est ex se, ut supponimus, et alioquin confitetur quantum potest, et quomodo potest; et quod licite id facit, cum sit in necessitate communicandi; quæ est sufficiens ut debeat sic confiteri, tum ut impleat præceptum divinum, tum ut fiat ex attrito contritus, si fortasse non pervenit ad veram contritionem. Confessor autem potest et debet tunc absolutionem præstare, si sibi constet pœnitentem habere justam excusationem non confitendi superiori, quia pœnitens est dispositus, et integre confitetur quantum potest, et est in sufficienti necessitate absolutionis. Neque est quod confessor de jurisdictione dubitet, quia tunc non utitur jurisdictione præsumpta (in quo differt hæc sententia a præcedenti), sed utitur jurisdictione certa, quam habere debet circa alia peccata confessa, quæ sufficit ad conficiendum sacramentum, quo indirecte tollantur peccata reservata, etiamsi in illa nulla sit jurisdictio. Per hoc autem remedium subvenitur necessitati pœnitentis, et servatur reverentia debita sacramento Eucharistiæ, et non minuitur rigor reservationis, nam semper manet eadem obligatio confitendi directe illa peccata superiori, vel ei qui ab illo jurisdictionem habuerit; in quo maxime differt hic modus dicendi a præcedenti in n. 20, nam juxta illum, consecuta semel absolutione, non oporteret illa peccata iterum confiteri superiori, quia remissa fuisse dicuntur per jurisdictionem ipso jure, vel tacite datam a majori Prælato; imo etiam fit ut pœnitens maneat liber ab omni onere comparendi, quia sicut præsumitur jurisdictio data, ita præsumetur absolute et simpliciter data; maxime

ubi peccatum non habet annexam censuram reservatam, quod sine dubio maximum inconveniens est. Et ideo illa jurisdictio præsumpta, ut dixi, nullo modo est admittenda; absolutio autem directa juxta mensuram propriæ jurisdictionis, cum remissione indirecta eorum peccatorum, in multis casibus necessario admittenda est, ut ex propria materia constat; unus ergo illorum est hic, de quo agimus, et alium similem in sequenti videbimus.

CAPUT XX.

AN PRÆLATI REGULARES POSSINT ABSOLVERE SUOS SUBDITOS A CENSURIS.

1. Hactenus de peccatorum absolutione dictum est, jam de absolutione censurarum agendum, quæ possunt etiam distingui in censuras ipsiusmet religionis, et ab extrinseco provenientes; item in censuras a jure vel ab homine; item in reservatas et non reservatas. Deinde potestas absolvendi ab illis esse potest vel ex jure communi, vel ex jure et privilegiis regularibus. Primo ergo dicendum est, Prælatum religionis jure communi posse absolvere ab omnibus censuris non reservatis, et ipso jure latis, sive sit jus commune, sive proprium religionis. Probatur ex cap. *Nuper*, de Sentent. excom., ubi quilibet proprius sacerdos dicitur habere hanc potestatem; quia ubi conditor juris absolutionem non reservat, concessisse videtur, ut ibidem dicitur. Quæ regula in omni jure, tam communi, quam regulari, eadem ratione locum habet; Prælatum religionis est proprius sacerdos suorum subditorum, ut per se constat; ergo. Ex quo infero, etiam ordinarium confessorem conventus, vel quencumque alium approbatum ab ipso Prælato ad audiendas confessiones subditorum, cum jurisdictione absolvendi a mortalibus non reservatis, posse etiam absolvere a quibuscumque censuris non reservatis per talia peccata contractis; nam juxta probabiliorum sententiam, quam in tom. 5 approbavimus, decisio cap. *Nuper* extenditur ad quemlibet sacerdotem habentem jurisdictionem ad absolvendum a peccatis mortalibus, ratione quorum censetur consequenter concessa potestas absolvendi ab hujusmodi censuris; nam, qui delegat potestatem ad aliquid, censetur concedere potestatem ad omnia necessaria ad talem finem, ut est vulgatum in jure. Et confirma-

tur, quia aliqua est constituenda differentia inter excommunicationem reservatam vel non reservatam Prælato; nulla autem esset, si confessor ordinarius non posset absolvere ab excommunicatione non reservata. Hic autem oriebatur dubium de censuris juris communis peculiariter commissis Episcopis, de quo infra dicemus.

2. Secundo dicendum est, Prælatum religionis jure ordinario posse absolvere subditum ab omni censura lata ab homine, tam per sententiam generalem, quam per particularem, nisi sit lata a superiore Prælato suo. Probatur assertio, quia censura ab homine, ab eodem tolli potest a quo fuit posita, vel ab ejus superiore; sed religiosus non potest ab alio homine excommunicari nisi a Prælato suo; ergo ab eodem potest et debet absolvi. Habet ergo Prælatum jure ordinario hanc potestatem, quæ, si consideretur in Prælato superiore, extendetur ad omnes censuras latis ab inferioribus Prælatibus sibi subjectis. Atque hinc facile probatur exceptio: nam inferior non potest superioris sententiam revocare.

3. Potest autem quæri an illa exceptio intelligenda sit tam de sententia generali, quam de particulari. Breviter tamen respondeo quod, licet in rigore juris utrique adhibenda videatur, nihilominus ex usu et pia interpretatione, generalis sententia in hoc æquiparatur juri, ita ut, si censuram sic latam Prælatum sibi expresse non reservet, eo ipso illam ordinariis Prælatibus vel confessoribus reservare censeatur, juxta regulam dicti cap. *Nuper*. Solum ergo in sententiis specialibus illam limitationem intelligit. Ex dictis autem constat, nomine Prælati in præsentem comprehendere Summum Pontificem, qui generali et speciali titulo est supremus Prælatum religiosorum, et ideo ipse potest absolvere quoscumque religiosos a quibuscumque censuris latis a quibuscumque aliis Prælatibus; alii vero non possunt absolvere a latis ab ipso, nisi quatenus ab eo conceditur, vel expresse, vel per generalem regulam cap. *Nuper*.

4. An de censuris ab Episcopis latis procedat assertio.—Peculiarem vero difficultatem habet quid dicendum sit de excommunicatione religiosi lata ab Episcopo in casibus in quibus eam in religiosos ferre potest, etiamsi exempti sint; nam de sibi subjectis nulla est quæstio, quia cum ipse sit ordinarius Prælatum talium religiosorum, regula posita in eo locum habet. Potest autem interdum Episcopus aliquid præcipere religiosi sub pœna excommuni-

cationis, ut quod ad processionem vocati accedant, juxta Concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 13, de Regul., et in aliis casibus illis commissis in eadem sessione, variis decretis de Regularibus, et sess. 5, cap. 1, de Reformat., et aliis locis similibus. Tunc ergo, cum certum sit ipsummet Episcopum posse absolvere, et a fortiori Pontificem, de Prælatibus religionis dubium est, nam cum non sint subditi Episcopis, non videntur comprehendi sub exceptione posita; poterunt ergo absolvere subditos ab his censuris. Respondeo nihilominus non posse, quia in eo actu revera sunt Episcopi superiores Prælatibus respectu Prælatorum religionis; nam vel Episcopi in eo actu procedunt ut delegati Sedis Apostolicæ, ut sæpe in dicto Concilio dicitur, et tunc constat non solum esse superiores, sed quodammodo supremos, quia utuntur jurisdictione Pontificia sibi delegata; vel se gerunt ut propria jurisdictione utentes, ablata exemptione, quantum ad talem casum; et sic etiam sunt superiores, quia omnes Prælati religionum jure ordinario essent subditi Episcopis, nisi essent exempti; ergo pro illis casibus, in quibus exempti non sunt, manent inferiores Episcopis; ergo non possunt absolvere a censura lata ab Episcopo in aliquo tali casu per sententiam particularem, nam de generali aliud est, ut diximus.

5. *Privilegium eximens religiosos a censuris, nisi nominentur.*—In quo tamen obiter notandum est privilegium concessum a Nicolao IV, quod his verbis refertur in Compendio Societatis, verb. *Excommunicatio*, § 3: *Nicolaus IV noluit fratres ligari aliqua sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti, hominis, nisi nominatim fieret mentio, nec sufficeret, si diceret in sententia generali, ut perinde valeant, ac si essent nominati expresse.* Quod privilegium si intelligatur de expressa nominatione singularum personarum regularium, est satis magnum; si autem intelligatur solum de expressa nominatione talis vel talis religionis, vel monasterii, et omnium religiosorum ejus, minorem continet gratiam, sufficientem tamen ad explicationem privilegii, si alia verba non repugnant. Videtur prior sensus magis consentaneus verbis, quia proprie non dicitur fieri mentio nominatim aliquorum quando sub generali appellatione talium religiosorum comprehenduntur; præsertim quia ibi dicitur, *non sufficere, si dicatur in sententia generali, ut perinde valeant ac si essent nominati expresse.* Quod credibile non est

positum esse propter nominationem religionis aut monasterii, quæ facillimo negotio fieri potest expresse; positum ergo est propter expressam nominationem personalem. Ita ergo videtur hic favor intelligendus, ampliandus, et valde notandus.

6. Dico tertio: a censuris latis et reservatis jure religionis, eodem jure absolvere potest Prælati, ad quem reservatio facta est, et a fortiori Prælati superior, et consequenter delegati ab ipsis. Hæc omnia constant ex communi doctrina de censuris, et ex dictis in præcedenti capite de solutione a culpis reservatis; nam quoad hoc eadem est ratio et proportio. Solum quæri potest, si reservatio censuræ fiat Prælati absolute, et absque addito determinante, quis veniet sub illa appellatione, et præsertim an Prælati, etiam localis, possit absolvere. Respondetur affirmando; nam sub illa voce, absolute prolata, quilibet Prælati comprehenditur, et indefinita locutio in his rebus universali æquivalet. Item, quia Præpositus conventualis est vere Prælati, et participat suo modo jurisdictionem Episcopalem, ut supra cap. 2, a num. 9, dixi.

7. Circa delegationem autem occurrit illa vulgaris interrogatio, si superior committat potestatem absolvendi subditum a censuris, an censeatur commissa ad absolvendum a censuris reservatis. Videtur enim negative respondendum, juxta regulam textus in cap. 2, de Pœnit. et remiss., in 6. In contrarium autem est, quia per illam facultatem plus videtur concedi quam per facultatem absolvendi a peccatis mortalibus non reservatis; sed per hanc conceditur consequenter potestas absolvendi a censuris non reservatis, ut num. 4 diximus; ergo ut illa facultas aliquid operetur, oportet ut extendatur ad censuras reservatas. Respondetur nihilominus, si aliunde non colligatur hanc fuisse mentem concedentis, non esse facile extensionem illam admittendam, propter citatam regulam, et quia potest illa expressa et directa concessio fieri ad tollendam omnem dubitationem vel opinionem; nam in jurisdictione delegata non est certum, eum, qui potest absolvere a mortalibus, posse etiam absolvere ab excommunicatione majori non reservata, licet sit probabile; item potest operari illa facultas, ut absolutio a censura per se detur sine ordine ad absolutionem sacramentalem. Hoc autem procedit quando in religione sunt quædam censuræ reservatæ, et aliæ non reservatæ;

nam si tantum essent reservatæ, necessario venirent sub generali appellatione, quia in tali religione non sunt aliæ; et ideo ex materia ipsa fit sufficiens determinatio.

8. Dico quarto: Prælati religionis, partim jure communi, partim ex privilegio, potest absolvere subditos a censuris reservatis Papæ quæ in jure commissæ sunt Episcopis. Non agimus de censuris quas ipsi Episcopis sibi reservant, quia illæ non ligant religiosos exemptos, de quibus agimus; censura autem Papales ligant illos, si alioquin ad illos vel speciatim, vel generatim dirigantur; et consequenter etiam reservatio Papalis ex se vim habet respectu illorum; ideoque nisi ab ipso Papa detur aliquo modo jurisdictioni, non poterunt ab illis absolvi. Solet autem in jure committi Episcopo in aliquibus casibus absolutio a censura Papæ reservata: quod dupliciter contingit, scilicet, vel simpliciter ex generali ratione Episcopalis jurisdictionis, vel ex peculiari commissione, et præsertim si addatur, ut legato Pontificis. Priori modo committitur ei absolutio ab excommunicatione can. *Si quis suadente*, ut in cap. *Pervenit*, cum similibus, de Sent. excom., et in Concilio Lateranensi, sub Alexandro III, p. 14. In his ergo casibus et similibus, absolvere possunt Prælati religionum suos subditos jure ordinario. Probatur, quia habent in illos jurisdictionem Episcopalem, et præsertim in his rebus quæ ad spiritualem salutem et medicinam pertinent, ut est absolutio a censura; sicut ergo illam jurisdictionem habent communi jure, ut supra probatum est, ita etiam habent potestatem absolvendi in his casibus.

9. *Non procedit æquiparatio, sumptis Episcopis ut legatis Sedis Apostolicæ.* — *Novo tamen privilegio Pii V revera procedit.* — Posteriori modo sunt multæ concessionem factæ Episcopis in Concilio Tridentino; illa vero præcipua est, quæ habetur sess. 24, cap. 6, de Reform., ubi conceditur Episcopis facultas absolvendi in quibuscumque casibus occultis, Sedi Apostolicæ reservatis. Quæ concessio, si nuda verba inspiciantur, videtur esse prioris generis, et consequenter extendi ad Prælatos religionum, etiam jure ordinario. Nihilominus, in quarto tomo tertiæ part., disp. 30, sect. 2, n. 7, propter quamdam responsionem Congregationis Cardinalium, oppositum dixi; retuli tamen ibidem Motum proprium Pii V, in quo facultatem illam extendit ad Prælatos ordinis Prædicatorum; quo

privilegio aliæ etiam religiones per viam communicationis uti possunt. Conceditur autem illa facultas tam Prioribus conventualibus, quam superioribus Prælati. Unde constat superiores aut vicarios ordinarios non posse illa facultate uti, nisi eis a Prælati delegetur; intelligetur autem delegata, quoties Prælati, a monasterio absens, vicarium loco suo relinquit. Fruentur autem illa facultate superiores parvorum conventuum, qui, licet Abbates aut Priores non nominentur, munus tamen integre exercent, et immediate Provinciali subjiciuntur. Atque idem dicendum est circa priores casus, in quibus hi Prælati utuntur sua jurisdictione ordinaria, juxta superius dicta de his Prælati, et eorum jurisdictione in genere.

10. *An quoad censuram ob hæresim æquiparentur etiam Episcopis iudem Prælati.* — Hic autem occurrebat specialis quæstio de excommunicatione incurta per peccatum hæresis, an possit ab his Prælati absolvi per illud privilegium Pii V; dicendum autem est, si Concilii facultas revocata non esset, sine dubio id possent hi Prælati, quia extensio Pii V generalis est quoad omnes facultates; Concilium autem concedit hanc facultatem Episcopis, saltem per seipos. Ego autem, in d. sect. 2, probabilius censui dictam facultatem esse revocatam per Bullam Cœnæ, quod explicando eandem Bullam in tom. 5, et disp. 21, de Fide, sect. 4, n. 12, iterum confirmavi, et nunc etiam verum censeo, etiamsi nonnulli moderni oppositum docuerint, in quibus sunt Henriq., lib. 3 de Pœnit., cap. 3, et Emman. Rodr., tom. 1, q. 20, art. 10, et in explicat. Cruciatæ, § 9, num. 70; Guttier., in Quæst. canon., statim citandus. Unde consequenter in præsentis pro indubitato habeo, non posse hos Prælatos absolvere ab hac censura ex vi Concilii, et privilegii Pii V, quod etiam sensit Sanc., lib. 2 Decal., c. 11, n. 7, tum quia ille non vult ut hi Prælati in hac parte habeant majorem jurisdictionem quam Episcopi, sed tantum ut non sint pejoris conditionis; tum etiam quia revocatio, quæ fit in Bulla Cœnæ, generalis est quoad omnes, qui non habent facultatem peculiarem in casibus ibi contentos, prout ibi reservantur.

11. Addunt vero aliqui, quod, licet Episcoporum facultas non esset revocata, Prælati religionum illam non haberent, quia illa non est data Episcopis, ut Episcopi sunt, sed ut inquisitores sunt, quod munus Prælati religionum non habent. Sed hoc non potest satis

probari ex verbis Concilii Tridentini; nam, postquam generaliter de aliis criminibus occultis dixerat, subdit: *Idem et in hæresis crimine*, etc.; ergo hoc etiam committit Episcopis, ut Episcopi sunt; solum addidit restrictionem, ut non possint eam potestatem delegare; de cujus restrictionis sensu alibi disputandum est. Vide quæ dixi disp. 30 de Pœnit., sect. 2, et disp. 21 de Fide, sect. 4, et disp. 21 de Censur., sect. 3, n. 5; et Cordub., in Summa Hispana, quæst. 8; Guttier., in suo Quæstionario, cap. 13, num. 28; Emman. Rodr., tom. 1, q. 20, artic. 11. Igitur, licet Concilium ex se non extendatur ad Prælatos religionum, sed solum ex concessione Pii V, tamen, illa supposita, non dubito quin extensio comprehendat etiam crimen hæresis; tamen revocatio æque etiam extenditur, ut dixi, et in sequentibus amplius explicabo.

12. *Probatur ex variis privilegiis.* — Dico quinto: per privilegia religionum, præsertim Mendicantium, possunt Prælati regulares absolvere suos subditos ab omnibus censuris a jure vel ab homine latis. Priorem partem hujus conclusionis, quæ spectat ad censuras a jure (sub quibus nunc censuras Bullæ Cœnæ comprehendo), colligo ex his, quæ breviter notantur in Compendio Societatis, verb. *Absolutio*, et ex multis privilegiis quæ indicat Emmanuel Rodericus, tom. 1, q. 20. Non censeo tamen necessarium per singula privilegia discurre: quædam enim concedunt absolutionem tantum ab una censura, excommunicatione, verbi gratia, alia ab aliis, vel ab omnibus, et interdum extendunt sermonem ad dispensationem ab irregularitate, de qua nunc non agimus. Item, quædam addunt hanc limitationem: *Nisi adeo fuerint graves, et enormes excessus, quod sint ad Sedem Apostolicam merito destinandi*, ut ex Clemente IV refertur in libr. Monumenta ordinum, concess. 318 et 319. Alia vero addunt contrariam extensionem, *etiamsi talia forent, propter quæ Sedes Apostolica esset consulenda*, etc., prout refertur in dicto Compendio Societatis, § 10, ex privilegio Benedictinis concessio. Ex omnibus ergo privilegiis sufficienter inspectis colligitur universalis conclusio posita (etiam quoad utramque partem), in qua sunt tria explicanda. Primum, materia circa quam hæc facultas versatur; secundum, quis Prælati possit illa uti; tertium, circa quas personas.